





8540. DISSERTATIO IVRIDICA

DE

# INIQUITATE LEGVM ROMANARVM

REMISSIONEM CAUTIONIS VSVFRVCTVARIAE  
TESTATORI DENEGANTIVM.

QVAM

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

A V C T O R I T A T E

D. XII. APRILIS CIOICCLXIV.

P R A E S I D E

## CAROLO FERDINANDO HOMMELIO

FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO ET ACADEMIAE  
LIPSIENSIS H. T. RECTOR

H. L. Q. C.

DEFENDET

A V C T O R AT Q V E R E S P O N D E N S

## DAVIDES FIZEAUX

LIPSIENSIS.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .



DISSERTATIO IVRIS  
DE  
INIOVITATE LEGUM  
ROMANARVM  
REMISSIONE CAUTIONIS AVERGATORIA  
TESTATORI DENGANTIA  
DATA  
HISTORIS IVRISCONVENTORVM ORDINES  
AVOTORIAT  
ALIA ALIAS CIVICISSIMA  
PRAESIDIA  
CAROLO HERDINANDO  
HOMMELIO  
EGALITATIS IVRISCONVENTORVM TESTATORIA  
TESTATORIS HOMMELIO  
DETINENT  
TACITOR VTOAE KESTONENS  
LITERIS  
DAVIDES TINGAUX  
LIPSIÆ  
X OCTOBRIS 1740

VIRO ILLVSTRI  
ATQVE EXCELLENTISSIMO  
**IACOBO LE-COQ**  
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
A CONSILIIS SANCTIORIBVS

PATRONO ATQVE FAVTORI SVO  
INDVLGENTISSIMO.



VIRIO ILLUSTRI  
AVTAE EXCELENTISSIMO  
IACOBO FE-GOO  
SERENISSIMI SAXONIE ELECTORIS  
A CONSILII SANCCTIONIBVS

PATRONVM AVTAE HANOVERIENSIS  
INDAUCITISSIMO

VIR ILLVSTRIS  
ATQVE EXCELLENTISSIME  
*Et si mihi parum verecunde facturus vi-  
debar, si ILLVSTRI NOMINI  
TVO ieiunam hanc disputationem in-  
scribere ausus essem; tamen quia et  
eorundem sacrorum, quod TECum mihi intercedit vin-  
culum, et TVA, aduersus patrem meum, quae semper  
maxima fuit, beniuolentia, animum obfirmabant, non  
potui mihi temperare, quo minus aliquando animo meo  
obtemperarem, spe fretus certissima dulcissimaque, fo-  
re, ut pro singulari TVA, tum erga omnes bonos,  
tum vero praeципue erga meos beniuolentia, quicquid hoc  
effet disputatiunculae, aequo susciperes animo. Offero  
igitur TIBI hic studiorum meorum primitias, non  
quod*

quod eas persona **TVA** ac doctrina dignas existimem,  
sed quia hanc censeo opportunissimam occasionem esse, et  
significandi **TIBI** maximam quam **TIBI** debo, et  
quae iam dudum in publicum prodire gestiit, obseruan-  
tiam, et **TIBI** me resque meas de meliori nota commendan-  
di. Caeterum ego amplissimum spei meae fructum habeo,  
si **TIBI** ingenium meum, et si nondum est omnino lima-  
tum, et studia, non omnino displicuisse cognouero, quod  
equidem ita mibi contingere cupio, vti omni tempore  
operam dabo, vt nec pietatis erga **TE** colendae, nec  
**TIBI** me probandi studio victus ab ullo superatusque  
videar. Vale, iterum iterumque faue

ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
NOMINIS TVI  
CVLTORI OBSERVANTISSIMO  
DAVIDI FIZEAUX.



DISSERTATIO IURIDICA

D E

INIQUITATE LEGVM ROMANARVM  
REMISSIONEM CAUTIONIS VSVFRVCTVARIAE  
TESTATORI DENEGANTIVM.

§. I.

*Instituti ratio.*

  
**D**uo sunt, quibus orbis regitur, maxime perniciosi opinionum errores, alter eorum, qui nihil solent laudare, nisi quod a veteribus dictum factumque intellexerint, in alterum praeccipites ruunt, qui nouitatis quadam specie occoecati, atque antiquam simplicitatem alto contemnentes superciliosi, ita quamque sententiam accuratissimam esse putant, vti ea maxime nouitatis gratia se commendet. Quod vero in omni vita, apprime utile est, ne quid nimis, id hic etiam locum habere censeo, et maxime commendandum esse his, qui in iuris scientia versantur;

A 2

multa



multa enim sunt in antiquis legibus, quae propter insignem aequitatem, optimo cuique magis se probant, quam quae a recentioribus legum auctoribus cauta atque sancta fuerunt. Exemplum huius rei est in usufructu, in quo multi, auctoritate ALEXANDRI imperatoris decepti, testatorem cautionem usufructuario nunquam remittere posse, aequo conuenire credunt, quibus equidem adeo non possum accedere, vt etiam sententiam IULIANI ICti atque ANTONINI imperatoris, existimantium: tantum in fungibiliū rerum siue quasi usufructu cautionem a testatore remitti non posse, in vero usufructu autem omnino posse, propter insignem aequitatem, longe iustiorem melioremque iudicem. Quamobrem consilium coepi hoc libello, locum hunc paulo fusiū atque vberius pertractandi, atque hac ratione ignorantiam iuris antiquioris, in ALEXANDRO Imp. in apricum quasi collocandi, non quod existimem, me castigandae communi sententiae, cui Doctores maxime adhuc dediti fuerunt, parem esse futurum, sed vt, decurso fere academicī studii curriculo, specimen aliquod ingenii et qualiscunque scientiae, quam per quadriennium et quod excurrat, tum in hac, tum in Goettingensi Academia, consequi allaborauī, edam. Qua quidem in re, aequos me arbitror tanto facilius habiturum censore, quo magis ignoscendum est iuueni, non tam inepto quodam, cruda adhuc studia in lucem propellendi, pruritu scribenti, quam potius, quicquid est huius disputationculae, ad exercitationem commendationemque deferenti.

§. II.



## §. II.

*Forma operis.*

Igitur, cum de remissione vſufructuariae cautionis nobis hic agendum sit, operaे certe pretium erit, quaedam tum de Vſufructu et Cautione in vniuersum, tum etiam sigillatim de cautione vſufructuaria praemittere. Cum vero caput argumenti in diuersa veri et quasi vſusfructus natura positum sit, iuuabit etiam vtramque paulo penitus explicare. His praemissis demonstrabimus: secundum antiquum ius Romanum, testatori saltem in quasiusfructu cautionem remittere non licuisse, idque antiqui iuris placitum solidis ex rationibus esse introductum. Tandem vero ostendemus, ALEXANDRVM Imp. hocce ius, incongrua atque peruersa plane ratione, ad verum vſumfructum applicasse, atque ita nobis, hac ex parte, ius omni ratione destitutum constituisse.

## §. III.

*Vſusfructus definitio.*

Primum igitur videamus vſusfructus qualis sit? Neque vero is aliud, quam ius ex re aliena percipiendi omnia emolumenta ordinaria ad necessitatem, vtilitatem et voluptatem, salua tamen ipsius rei substantia. Ordinaria vero rei emolumenta dicimus ea, propter quae rem habere solemus. Sic cum ancillae ideo non soleant comparari vt pariant, sed potius, vt nobis seruant, *l. 27. pr. D. de hered. petit.* hinc etiam leges diserte praecipiunt, partus vſumfructum non dari, nisi expresse sit constitutus. *l. 68. D. de Vſufr. l. 28. §. 1. de Vſuris.*



<sup>\*)</sup> Mireris forsan nos legalem haud retinuisse definitionem, quam et IUSTINIANVS Imp. in §. 1. I. de vſuſr. et PAVLVS in l. 1. D. eod. formarunt. At cum ibi vſusfructus definiatur ita, vt sit, ius vtendi fruendi, nobis haec definitio obscurior vſa, de eo enim quaeritur, quid sit vti frui? Miramur itaque NOODTIVM aliosque viros doctos hanc definitionem retinuisse.

<sup>\*\*)</sup> Diximus in nostra definitione vſusfructuarum re aliena ad necessitatem, vtilitatem atque voluntatem vti posse; in eo enim differentia inter vſumfructum atque nudum vſum posita viderur, quod hic sola necessitate restringatur, ille vero ad vtilitatem etiam et voluntatem extendatur. Est itaque vſusfructus ius ex vſu atque fructu mixtum quasi atque temperatum. NOODT de Vſuſr. Lib. I. c. 2. Mirum igitur in modum ipſa vocis Vſusfructus etimologia nostram tuerit definitionem.

#### §. IV.

*Vſusfructus diuīſo in Verūm et Quasi vſumfructūm.*

Varie vſusfructus diuiditur, quas tamen diuisiones, vt res tralatias omittimus. Vnam saltem adponere iuuabit, nimirum diuisionem vſusfructus in verum et quasi vſumfructum. Verus est is, quem iam definiuimus. Quasi vſusfructus autem est ius re fungibili, interposita cautione de eadem re finito quasiſuſructu, in genere restituenda, abutendi. Cautionis vero mentionem hac in definiitione fieri oportuit, quoniam, vt ex infra dictis clarius apparebit, ea ad essentiam quasi vſusfructus non potest non referri. Cacterum constat in definitione vtriusque hoc potissimum, vt rei substantia salua sit, ponи debuisse.

<sup>\*)</sup> Diximus vſumfructum in verum et quasi vſumfructum diuidi. Nolim vero, vt hanc diuisionem secundam Logices regulas diuidices. Mere est diuīſo iuridica. Quasi vſusfructus enim tantum ad Veri imitationem est introductus, et, si verius est dicendum, nihil fere cum



7

cum eo habet commune, arque definitio *vſusfructus* in vniuersum ad eum neutquam est trahenda. Hic enim fructarius sua, non aliena re, abutitur, non vitetur, *I. 7. D. de vſusfr. ear. rer.* nec substantia rei naturaliter salut manet. Neque vero iusitatum est tales a ICtis fingi diuisiones, sic enim in iure habemus quasi delicta et quasi contractus, actionem Seruianam et quasi Seruianam, interdictum Saluianum et quasi Saluianum, sic etiam Posthumi diuiduntur in veros et quasi posthumos, eodem modo possesso est vel vera vel quasi possesso; ipsa enim particula *Quasi* satis demonstrat, irregularēm hic subintelligi speciem.

\*\*) Versatur quasi *vſusfructus* circa res fungibles. Quaenam vero res eo nomine veniant, paulo accuratius obseruasse, operae premium videtur, cum et leges et plerique earum interpretes, obsecrūm hic, nec satis adaequatam nobis offerant notionem. Iam vero legalem definitionem, seu potius descriptionem, ex *pr. I. quib. mod. re contrab. oblig.* et *I. 2. §. 1. D. de reb. cred.* desumptam, ipso suo definito longe esse latiorem, multi iam ante nos obseruarunt. Hoc autem ut effugerent incommodum, ICti, eas rectius definiri posse, crediderunt, si dixerint, res fungibles esse res, quae vtendo mutentur vel consumantur. At quoniam, vt cum CICERONE loquamur, nihil opere aut manu factum est, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas, patet neque hanc definitionem accuratam satis omnibusque ex partibus perfectam esse. Ut igitur omnibus his incommodis obuiam eamus, ita, vti nobis quidem videtur, haec definitio erit formanda, vt res fungibles sint res corporales, quarum *vſus* ordinarius in ipsa consumptione vel mutatione, consistit, sive: quae *vſum* non habent, nisi iis abutaris. Ita enim hae res sunt comparatae, vt cum semel iis *vſus* fueris, iterum non recipiant *vſum*. *N O O D T de vſusfr. Lib. I. c. 21.*

## §. V.

### Cautio quid?

Posita nunc adaequata satis, vt nobis videtur, tum veri tum quasi *vſusfructus*, notione, iam ad cautionis definitionem



tionem progrediamur. Est vero Cautio in vniuersum, modus alterum securum reddendi. Sic in iure vel datis fideiussoribus, vel interpositis pignoribus, vel praefito iure iurando, vel interdum nuda promissione, quis a metu imminentis, vel quod accidere saltem possit, periculi liberatur.

\* ) Addunt quidam quintum cautionis genus, nimirum per carcerem, sed cum haec cautio tantum in causis criminalibus locum obtineat, a nobis est omissa. Vid. LEYSERI Medit. ad Dig. Spec. XXXIV. Med. I.

## §. VI.

### Vsufructuariae cautionis definitio.

Iam vero ad ipsam cautionis vsufructuariae definitionem erit deueniendum. Nec eam suppeditare difficile sit, cum ad supra exposita hic pateat recursus, ex quibus appareret hanc cautionem non aliam esse, nisi modum, quo vsufructuarius proprietarium de re fructuaria securum reddit; et quidem si res non fungibilis in verum vsumfructum sit concessa cauere debet vsufructuarius: *se ea re, boni viri arbitratu, vsurum fruiturum, finitoque vsufructu, quod inde extiterit, restituturum esse.* l. 1. D. vsufr. quemadm. cau. Quodsi vero rei fungibilis sit constitutus Quasi vsusfructus, caendum est: *se finito vsufructu rem eiusdem qualitatis esse restituturum.* l. 7. D. de vsufr. ear. rer.

\* ) Oritur quaestio: quaenam hic cautio sit praestanda? Sunt enim, qui solam fideiussoriam admittant, quoniam in legibus vbique satisfactionis adhibetur nomen. At, praeterquam quod satisfactionis nomen in legibus, passim et aliis cautionum generibus, tributum inueniamus, vti videre licet ex l. 21. §. 2. D. de pec. const. l. 49. D. de



de solut. in praxi pignoratitiam etiam admitti auctor nobis est  
STRYCK. in Vf. Mod. Lib. VII. Tit. V. §. 7. et Tit. IX. §. 2. ma-  
xime cum plus cautionis sit in re, quam in persona. l. 25. D. de  
R. I.

### §. VII.

*Quaeſtio an cautio ad vſuſfructus eſſentiam pertineat? proponitur, ſimilque diſfe-  
rentia inter Eſſentialia, Naturalia atque Accidentalia offendit.*

Haec praemittere placuit. Iam vero propius ad ipsum  
noſtrum argumentum accedimus. Et primo quidem loco  
conſiderandum venit, an cautio vſuſfructuaria ad eſſentiam  
vſuſfructus ſit referenda, nec ne? Si enim pertinet ad eſſen-  
tiam, rete leges testatori denegant facultatem eandem re-  
mittendi, cum rerum eſſentiae ſint immutabiles, adeo, vt  
ne quidem a principe mutari poſſint. *Eſſentiales* vero vo-  
camus rei alicuius partes, quaes ad rem, qua de agitur, in-  
trinſece ac absolute neceſſariae ſunt, ita, vt vna alteraue ha-  
rum partium ſublata, res, quaes antea fuerat, non amplius  
eadem maneat. His partibus eſſentialibus opponuntur *Na-  
turales*, quarum natura ita eſt comparata, vt plerumque qui-  
dem rei iſint, abeſſe tamen ſalua rei ſubſtantia poſſint, li-  
cet abeſſe non praefumantur. Caetera quaes rebus interdum  
iſint, quaequae iis vel partium contrahentium conſensu vel  
alias ob causas adiiciuntur, communi *Accidentalium* nomi-  
ne venire ſolent.

### §. VIII.

*Ad decidendam hanc queſtioneſ diſtincſione opus eſt.*

Sed redeamus ad queſtioneſ quam proponuimus,  
vtrum cautio ad eſſentiam vſuſfructus pertineat, nec ne? in

B deci-



decidenda vero hac quaestione, distinguendum nobis erit, inter verum et quasiusumfructum. Diuersissimam enim eorum esse naturam, supra iam obseruauimus, atque haec diuersitas, ex iis quae mox dicturi sumus, magis magisque apparebit.

### §. IX.

*In vero vſufructū cautionem ad eſſentiam non pertinere, probatur  
1) per ipsam legalem vſufructus definitionem.*

In vero autem vſufructū cautionem ad eſſentiam neutram referri posse, pluribus argumentis probari potest. Primum quidem, ex ipsis, quam leges de vſufructū habent definitionis verbis, est repetendum, qualia nimur extant in *pr. I. de vſufr. et I. i. D. eod.* Ibi enim, ne verbo quidem, cautionis fit mentio, cum tamen certum sit, definitionem totam rei substantiam continere debere. Iam vero, etſi facile largimur, legum conditores ab omni errore non fuisse plane immunes, et quamvis cum aliis dicamus: amicus Tribonianus, amicus Paulus, sed magis amica veritas; tamen largiri non possumus, et TRIBONIANVM, qui, vt SVI-DÆ vtamur verbis, vi summa praeditus ingenii, ad culmen eruditioñis peruererat, nulli suo seculo secundus, et PAV-LVM ICTUM elegantissimum doctissimumque, adeo rerum fuisse ignaros, vt nescirent, rerum eſſentias definitionibus esse inferendas.

### §. X.

*2) per Oeconomiam totius Institutionum tituli de vſufructū.*

Sed misso hoc ad alterum delabimur argumentum, ex vniuerso titulo Institutionum de vſufructū arcessitum. In hoc

+ + +

hoc enim titulo TRIBONIANVS THEOPHILVS et DOROTHEVS accurate certe atque eleganter quaecunque ad substantiam vſusfructus pertinent enumerauere, at de cautione ne verbum quidem in toto titulo occurrit. Quomodo vero fieri potuisset, vt viri eruditissimi iurisque scientia optime imbuti, in recensendis partibus vſusfructus essentialibus, vnicam cautionem praeterissent? si illa ad substantiam esset referenda. Simulac vero de vſufructu rerum fungibilium Tribonianus agere incipit, statim cautionis fit mentio. Quare vero in tractatione veri vſusfructus cautionem omisisset, nisi optime perspexisset, eam tanquam naturale vſusfructus et adesse et abesse posse?

## §. XI.

3) per cautionis vſufructuariae originem.

Ex his igitur similibusque argumentis, atque rationibus hinc inde recte subductis colligere licet, cautionem ad veri vſusfructus essentiam neutiquam esse referendam. Verum enim uero, cum et TRIBONIANVM et PAVLVM hic erat, et si non verisimile sit, tamen fieri potuerit, maxime cum in nullo penitus aberrare, diuinae potius quam humanae facultatis sit, grauioribus adhuc argumentis nostra sententia magis magisque erit confirmando. Tertium itaque argumentum, quo probamus: cautionem ad naturalia faltem veri vſusfructus pertinere, ex ipsa huius cautionis origine deducemus. Nempe lex i. D. vſufr. quemadm. cau- nos docet, praetoris edicto cautionem vſufructuariam de-

mum fuisse introductam, vsuumfructum vero media iam iu-  
risprudentia inualuisse, clarissimis argumentis ostendunt  
**GALVANVS de usufr. c. VI.** et alii. Si igitur concedis na-  
turalem rei rationem nulla auctoritate commutari posse, *l. 2.*  
*§. 1. D. de usufr. ear. rer.* negare haud poteris, praetorem ve-  
terem vsusfructus substantiam immutare non potuisse, cum  
hoc ne quidem senatui nec principi liceat. Quodsi enim  
ante praetoris editum vsusfructus sine cautione constare po-  
tuit, clarissime appetet, hanc cautionem non esse plane ne-  
cessariam nec ad vsusfructus essentiam pertinere.

## §. XII.

*4) per remissionem cautionis a lege nonnunquam concessam.*

Cautionem vsufructuarium a lege interdum remitti v. g.  
ei, qui proprietatem rei fructuariae aliquando se adepturum  
certo sperat *l. 9. §. 2. usufr. quemadm. cav.* et forsitan aliis, satis  
superque constat. Quomodo vero leges vsufructuarium non-  
nunquam ab onere cauendi liberum pronunciare possint, si  
essentiam vsusfructus cautio ingredetur? Quomodo rerum  
necessarias affectiones instituta humana immutare potuissent?  
Scis ad emtionis venditionis substantiam inter alia requiri  
mercem; an vero existimas legis dispositione posse effici, vt  
emtionis venditionis contractus, nulla interueniente merce,  
iniri queat? Ridiculum certe atque absurdum foret, talia  
putare. Quodsi igitur certum est, vt est certissimum, es-  
sentias rerum ne quidem a lege commutari, nec principem  
efficere posse, vt non idem videatur, idem sequitur, vt leges cau-  
tionem

tionem vſuſfructuariam nunquam remittere potuiffent, si haec cautio ad vſuſfructus substantiam vlo modo referri poſſit.

### §. XIII.

5) per l. 4. C. d. vſuſfr. 6) per l. 1. §. 2. D. vſuſfr. quemadmodum. eav.

7) per Paul. rec. ſent. L. III. T. 6. §. 27.

Licet iam ex nunc adductis clarissime pateat, cautionem ad veri vſuſfructus substantiam nullo modo pertinere, iuuabit tamen, paucis adhuc legum argumentis, hancce propositonem firmare. Sic lex 4. C. de vſuſfr. iubet iam conſtituto vſuſfructu cautionem praefſtari. At conſtitutus certe dici non poſſet, nondum interpoſita cautione, niſi haec cautio et ad eſſe et ab eſſe poſſet, partes enim rei eſſentialiæ ad ipsam rei conſtitutionem omnino pertinere, nec rem absque iis ad perfectionem peruenire poſſe, ipſa ſubſtantialium natura, quam ſupra expoſuimus, declarat. Porro VLPIANVS in l. 1. §. 2. D. vſuſfr. quemadmodum. eav. conſtituit, vſuſfructuariam cautionem, ex qua cunque etiam cauſa conſtitutus fit vſuſfructuſ, ad cautionem legatorum ſeu fideicommissorum aptandam, huiusque exemplo praefandardam eſſe. Iam vero dici haud poſt, hanc ad legatorum fideicommissorum ſubſtantiam pertinere. Haec bene animaduerterat PROCYLIANVS, cum libello Alexandrum Imp. interrogaret: an non cautio, vt boni viri arbitratu, is, cui vſuſfructus relietus eſt, vtatur fruatur, teſtamento remitti poſſit? cum he redem a cautionis onere liberare teſtatori permifſum fit, l. fin. pr. D. vt legat. ſ. fideic. ſeru. cauſa cau. l. 2. et 4. C. vt in



*poss. legat.* At imperator legibus de Quasiusufructu disponentibus seductus, rescripsit eam remitti non posse, l. 7. C. *ut in poss. legat.* quod qua ratione fecerit, infra fusius erit dicendum. Ultimo tandem et quasi coronidis loco, tuum adhuc, PAVLE, adhibere licet testimonium, dicens enim Lib. III. tit. 6. § 27. *Recept. Sent:* Cautio usufructuaria regulariter interponi solet. Ex tua igitur sententia, praestari solent, non vero debet, iam vero essentialia rei semper inesse debent, nec tantum solent,

#### §. XIV.

##### *Dissentientium argumentorum refutatio.*

Ne tamen quicquam in demonstratione hac omisisse videamur, restat adhuc quaedam ad dissentientium argumenta respondere. Prouocant vero hi ad l. 13. pr. D. de *vſuſr.* vbi usufructuario, antequam satisdederit, actio denegatur; prouocant ad l. 24. D. de *vſu et vſuſr.* *legat.* vbi disponitur fructuarium, ante praestitam cautionem, fructus suos facere non posse; prouocant tandem ad l. 7. et vlt. D. *vſuſr.* *quem-adm. cau.* quibus proprietario permittitur, rem fructuarium ante praestitam cautionem vindicare. At his respondemus (omisso eo quod l. 24. de *vſu et vſuſr.* *legat.* de quasi usufructu loquitur) haec omnia non ex eo prouenire, ac si, nondum praestita cautione, usufructus totam non habeat substantiam, quin potius ex aequitate fluere, quod usufructus nullum sortiatur effectum, priusquam proprietarius de proprietate securus sit, qui enim vult commodum usufructus, habere etiam debet cautionis incommodum, atque prospiciendum



dum est prius proprietario, ne in periculum amitteriae rei veniat, cuius partes omnino fauorabiliores hic sunt, quam fructuarii, cum hic de lucro captando, ille vero de damno vitando agat. Nec hae leges alio de casu sunt accipiendae, nisi de eo, quo proprietarius quidem exegit cautionem, fructuarius vero nullam legitimam rationem, quare eam praestare non velit, allegare potest. Itaque, vt exemplo vtamur, dici nequit, patri fructus e bonis filii aduentitiis petenti, opponi posse, quod nondum satisdederit, habebit enim paratam replicam, cautionem sibi a lege esse remissam.

### §. XV.

*Contra vero ad Quasi usus fructus essentiam cautionem pertinere docet i) §. 2. I. de Vſu fr.*

Haec de vſufructu rerum non fungibilem; at in fungibilem rerum Quasi vſufructu, longe aliter res se habet; hic enim contra communem fere doctorum sententiam, credimus, cautionem ad eius substantiam esse referandam, quod variis argumentis docebimus. Primum quidem legum auctoritate pugnandum erit. Occurrunt sane in corpore iuris innumerae leges, quibus haec nostra sententia mirum in modum firmatur. Primo quidem loco consideranda nobis venit §. 2 I. de vſufr. Ibi enim imperator obseruat: omnium rerum dari vſumfructum, exceptis iis, quae ipso vſu consumantur, pergit porro, *senatum vtilitatis cauſa cenſuisse*, posse etiam earum rerum vſumfructum constitui, ita tamen, *vt eo nomine heredi vtiliter caueatur*. Iam vero in antecedentibus, cum de vero vſufructu loqueretur Iustinianus, nullam plane cautionis fecerat mentionem, vti supra iam obserua-



seruauimus, simulac vero ad quasi vsumfructum se conuer-  
tit, statim de cautione loquitur, et ita de cautione loquitur,  
vt dicat, senatum consuisse: posse quidem etiam in rebus fun-  
gibilibus constitui vsumfructum, ita tamen, vt eo nomine caue-  
tur. Quodsi igitur quasi vesusfructus fungibilium rerum ali-  
ter, ac interueniente cautione, constitui non potest, sequitur  
vt cautio non possit non adesse i. e. vt sit pars quasi vesusfru-  
ctus essentialis. Hinc et, quibusdam interiectis, haec im-  
perator addidit verba: *senatus non fecit quidem earum rerum  
vsumfructum, (nec enim poterat) sed per cautionem quasi  
vsumfructum constituit.* Constitutus itaque est quasi vesusfru-  
ctus per cautionem, i. e. senatus effecti ut rerum fungibilium  
vesusfructus haberi possit, modo interueniat cautio, quae  
scilicet abesse non potest, cum haec ipsa eundem constituat,  
atque ita ad eius essentiam pertineat.

#### §. XVI.

2) *I. ii. D. de Vsusfr. ear. rer.*

Audiamus etiam Vlpianum in *I. ii. D. de vusufr. ear. rer.*  
Dicit is: *si lanæ alicui legatus sit vesusfructus, nullus videtur  
vesusfructus in ea iure constitutus, sed ad SCtum erit descen-  
dendum, quod de cautione eius loquitur.* Nemo certe nega-  
bit Vlpianum hic cum de cautione loquitur, quasi vsumfru-  
ctum subintellexisse, is enim SCto est introductus, *I. i. D.  
de vusufr. ear. rer.* Vtitur igitur ICTus tropo satis noto, quem  
synecdochen vocant, cum partem pro toto sumit. At ab  
accidental vel naturali rei parte duci non posse denominatio-  
nem constat. Est itaque cautio pars quasi vesusfructus sub-  
stantialis



stantialis, atque **VLPIANVS** censuit parum referre, siue cautionis siue quasi **vſusfructus** voce vteretur, maxime cum quasi **vſusfructus** absque cautione non existat.

### §. XVII.

*3) l. 6. D. vt in poss. legat.*

Iam nobis licet Iulianum euocare, qui in *l. 6. D. vt in poss. leg.* ita scribit: *si pecuniae vſusfructus legatus sit, sub clausula ne fatisfaretur, proprietatem non censi legatam, sed legatario permittendum fatisfare, et vſumfructum pecuniae habere.* Clarissime ICtus hic ostendit, cautionem ad quasi **vſusfructus** substantiam pertinere. Bene enim perspexerat, pecuniae **vſumfructum**, remissa cautione, parum ab ipsa proprietate differre, cum quasi **vſufructarius** rei fructuarie sit dominus, *l. 7. D. de vſifr. ear. rer.* atque de ea libere disponere possit. Sed cum et testatoris intentio sit inspicienda, is vero qui **vſumfructum** legat, non possit censi proprieta tem legasse, recte disponit lex, clausulam, ne fatisfaretur, esse reiiciendam, et quidem ideo, quia, testator non potest quasi **vſumfructum** constituere absque parte ipsius essentiali, h. e. non potest efficere ut idem non sit idem. At pergit ICtus permittendum esse legatario fatisfare et **vſumfructum** habere. Nonne hoc idem est, ac si dixisset: permittendum esse legatario ut fatisfat atque ita fiat quasi fructuaris? fatisfatio enim constituit quasi **vſumfructum** et est eius pars substantialis. Testator vero voluit, ut fieret quasi **vſufructarius**, quasi **vſusfructus** autem absque cautione non datur. Non potuit ergo retineri in omnibus testatoris dispositio,

C

cum

cum retenta clausula *ne satisdaretur*, testator idem et voluisset et noluisset.

### §. XVIII.

4) l. 2. §. 1. D. de *Vusufr.*

Praeter has habemus in numerato alias iuris romani dispositiones, quae et si non ita clare nostram sententiam quam argumenta superiora probent, tamen ad eandem magis magisque firmandam haud parum commodi adferunt. Harum in numerum referò l. 8. D. de *vusufr. ear. rer.* l. 24. D. de *Vusufr. et usufr. legat.* l. 1. C. de *vusufr.* Vnam saltem adhuc paucis attingere iuuabit, nimirum l. 2. §. 1. D. de *vusufr.* *vbi GAIUS* ICtus ait: *remedio introducto coepit quasi vesusfructus haberi.* Remedio inquit introctum esse quasi vsumfructum, hoc autem est, cautione. Nam remedium hoc loco cautionem denotare, patet ex L. 7 pr. et L. 79. §. 13. D. de *condit. et demonstrat.* Nonne autem his verbis ICtus demonstrat, quasi vsumfructum per ipsam cautionem constitutum esse, atque, neglecta ea, integrum eius non adesse substantiam? Etenim, introducto cautionis remedio, coepit quasi vesusfructus haberi, nec antea fuerat, sed per cautionem est constitutus, ut alio a nobis iam excitato loco obseruat Iustinianus Imp.

### §. XIX.

*Ipsa quoque vesusfructus natura docet cautionem ad quasi vesusfructus esse, tiam non posse non referri.*

Iam vero etiamsi omni iure scripto destituti essemus, ipsa vesusfructus in vniuersum considerati natura nos doceret ad

ad rerum fungibilium vsumfructum cautionem omnino requiri. Quid enim vſusfructus naturae magis conuenit, quam, vt salua maneat rei fructuariae substantia? iam vero facile vides, rerum fungibilem in vsumfructum datarum, substantiam physice quidem atque naturaliter saluam manere haud posse. Qualis enim vſus eiusmodi rei fructuario remaneret, si ei facultatem rem commutandi, eandemue consuendi adimere velis? cum vſus earum rerum in ipsa mutatione consumtione consistat. Haec sensatus animaduertens, cum efficere quidem non posset, vt in rerum fungibilem vſusfructu, substantia rerum physice salua maneret, voluit tamen vt eadem moraliter et, si ita dicere fas est, iuridice salua esset. Efecit itaque, vt, per cautionis remedium, quasi salua sit substantia, quae re vera perit, succurrendum que censuit proprietario, exhibita satisfactione, ita, vt hac ratione consumpta licet re, eadem tamen in effectu et ob interpositam cautionem salua conseruaretur. NOOT de vſusfr.  
lib, I. cap. 20. S T R Y C K Vf. Mod. lib. VII. tit. V. §. 1.

### §. XX.

*Cautio solam differentiam inter quasi vsumfructum atque mutuum constituit.*

Fac tandem vsumfructum rei fungibilis constitui, nulla interueniente cautione, qualis, quaeſo, inter eum atque mutuum supererit differentia? Inanis plane futura erat haec tam sapienter excoigitata quasi vſusfructus notio. Sublata certe hac vna cautionis differentia nullam amplius subsistere certum est, vtrumque enim consistit in rebus fungilibus, vtro-

C 2

que

❖ ❖ ❖

que dominium transfertur, vtroque accipiens ad rem eiusdem generis et qualitatis restituendam se se obligat. Sunt quidem qui hanc fibi fingant vtriusque differentiam, quod quasi vſusfructus tantum per modum vltimae voluntatis posſit constitui. Id autem nullis idoneis argumentis probari potest. Quid enim impedit, quo minus et per paectum inter viuos quasi vſusfructus possit constitui? Quod enim SCtum in *L. 1. D. de vſuſr. ear. rer. adductum*, de legato tantum loquatur, nihil ad rem facit, casum enim vſusfructus omnium bonorum legati, huic SCto occasionem dedit, atque senatum, vltimae voluntatis fauore, vt ita disposeret, commotum esse, multi iam ante nos obſeruarunt. Non vero ex eo sequitur, nullum rerum fungibilium vſumfructum inter viuos constitui posse, maxime cum hoc nulla lege in toto corpore iuris prohibitum reperiatur. Nec adeo necessaria fuisset quasi vſusfructus introductio, si haec vna intercederet differentia, cum in iure nostro haud desint alia media quibus quis efficere possit, vt alter ad dies vitae vſum rei fungibilis habeat. Etsi enim mutuum, tanquam contractus, vltima voluntate iniri haud potest, *L. 20. D. de verb sign.* potest tamen alicui mutuum vſque ad ipsius debitoris mortem vel naturalem vel ciuilern concedi, atque ita cum dies soluendi debiti, ante existentiam casus a contrahentibus definiti non cedat, heres vero ad facta promissaue defuncti praefstanta seruandaque teneatur, idem in effectu erit, ac si quasi vſusfructus remissa cautione, esset constitutus. Sic et testator heredi iniungere potest vt alii mutuum certae quantitatis der, et quidem addita hac conditione, vt duret  
hocce

hocce mutuum, quamdiu debitor viuit, vel capite non minuitur.

### §. XXI.

*Lex 5. §. 1. D. de vsufr. ear. rer. explicatur.*

Vna lex 5. §. 1. D. de *vsufr. ear. rer.* huic nostrae sententiae aduersari videtur. Ibi enim **VLPIANVS** quaestione proponit: an finito *vsufructu*, vbi nulla interuenerit cautio, pecunia, quae data sit, condici possit? hic enim **ICTUS** loquitur de repetitione *vsufructus*, vbi nulla interuenerat cautio, iam vero constat priuationem praesuppone-re habitum, nec posse videri desuisse habere, qui nunquam habuit. *l. 208. D. de diu. reg. iuris.* Verum enimuero, cum ex ante deductis clarissime pateat, cautionem ad quasi *vsufructus* substantiam pertinere, sequitur **VLPIANVM** hic proprie non locutum. Casus enim est, quo quis rerum fungibilium alteri concederat *vsumfructum*, nec tamen cautionem exegerat, eo ipso autem quasi *vsufructus*, quem constituere intendebant, tacita eorum voluntate in mutuum degenerauit. Hinc **ICTUS** disquirit an finito eiusmodi *vsufructu* h. e. finito mutuo, res condici possit, et concludit, eorum sibi non inargutam videri sententiam, qui dicant ipsam quantitatem posse condici. Quoniam vero quaestio proposita de *vsufructu*, tacita partium voluntate in mutuum transmutato, agit, maximie naturale est, **VLPIANVM** hic improprie ac minus recte *vsufructus* vocem retinuisse, quod quidem eo magis hic ei est condonandum, cum denominatio parum ad expediendam quaestionem faciat. Nec unicum hoc verbu-



Iam, nos, ad sententiam nostram, firmissimis caeteroquin argumentis nixam; mutandam mouebit, maxime cum nec veteres iureconsultos ab omni errore plane immunes fuisse credamus, nec Deos putemus, errare nescios, quos ipse Deus homines nasci voluit. Labi enim potuisse, imo errasse etiam veteres iuris conditores, ipsius **VLPIANI** nostri exemplo alia occasione ostendit. Dominus **PRAESES** in epistola ad fratrem de mirabili **Vlpiani impastura.**

### §. XXII.

*Galuanum teste nostras tenere partes ostenditur.*

Firma igitur nostra manebit sententia, maximos licet hic habeamus ICTOS aduersarios, maximumque inter eos fore **GALVANVM**, qui capite **XIX. n. 13. Tractatus de vſusfructu**, ideo etiam cautionem ad quasi vſusfructus non essentialia, sed naturalia tantum esse referendam contendit, quod quasi vſusfructus veri imitetur naturam, cum ad eius similitudinem sit introductus. Attamen, cum et ipse **GALVANVS** paulo ante **n. ii.** hanc imitationem in his tantummodo admittat, in quibus verus et quasi vſusfructus non habeant naturas contrarias, sequitur imitationem hanc, hic omnino exulare debere. A nobis enim supra iam est demonstratum in eo quasi vſumfructum a vero apprime differre, quod in illo, neglecta cautione, ne quidem moraliter salua manere possit rei fructuariae substantia, bene tamen in hoc. Attamen quamuis Galuanus masculine suam defendat sententiam, atque in elidendis legibus, sibi contrariis, mirum in modum sese torqueat, tamen et ipse tandem, euidentia rei mo-

tus

tus, magis magisque ad nostram deuenire videtur sententiam. Sic enim *num. 14.* ipse fatetur cautionem in quasi vſufructu, licet non sit ſubſtantialis, tamen maxime eſſe naturalem *b. e.* magis quam ſit cautio in vero vſufructu. Et paulo poſt ait, maxime neceſſariam eſſe cautionem quaſi vſufructuariam ad conſtituendum et obſirmandum quaſi vſumfructum. Vides igitur doctifimum virum, ſe fere inſcio ac ſibi reluſtante, ad noſtrā tandem accedere ſententiam. Ipſe enim affirmat ad conſtituendum quaſi vſumfructum maxime neceſſariam eſſe cautionis interpoſitionem. Quaenam vero alia GALVANI verborum viſ eſt, quam ea, vt dixerit abſque cautione quaſi vſumfructum plane conſtitui non poſſe? Quodcunque enim ita neceſſarium eſt, vt, eo omiſſo, reſ conſtitui non poſſit, id omnino ad eius refentiam referendum.

### §. XXIII.

*Ratio inueſtigatur quare veteres ICI cautionis vſufructuariae remiſſionem teſtatore factam irritam declarauerunt.*

Iam vero cum demonſtratum ſit, cautionem ad quaſi vſufructuſ effentiam ſubſtantiamque requiri, statim ratio ſe ipsam, prodiſ, quare Romanae leges eius remiſſionem teſtamento factam, ſi de quaſi vſufructu ſermo ſit, irritam declarauerint. Tanta enim ultimis hominum voluntatibus non eſt tribuenda viſ, vt leges et ipsas rerum effentias poſſint immutare. Hinc reſte IULIANVS in *l. 6. D.* vt in poſſ. legat. nec non SEVERVS et ANTONIVS imperatores in *l. 1. C.* de vſufr. diſponunt: ſatisfactionem a quaſi vſufructua-

rio

❖ ❖ ❖

rio esse praeftandam, etiam si ei a testatore sit remissa. Clari-  
ra sunt iam laudata a nobis IVLIANI ICti verba, sed clari-  
rior adhuc imperatorum constitutio. Hi enim clarissime  
disponunt: *si vſusfructus omnium bonorum, testamento  
uxoris marito eſt relictus, quamuis cautionem a te prohibe-  
buerit exigi, tamen non aliter a debitoribus solutam pecu-  
niā petere poteris, quam oblata ſecundum formam ſenatusconſulti cau-  
tione.* Hic enim Augufti exprefſe fanciunt,  
pecuniae vſumfructum aliter non dari, quam oblata cau-  
tione. Vides igitur testatoris voluntatem in eo quidem fer-  
uari posſe, quod cautio veri vſusfructus remissa non exi-  
gatur, quaſi vſusfructuariae cautionis remiſſionem vero plane  
irritam eſte declarandam. Quare autem vt in vero, ita et in  
quaſi vſufructu remiſſio haec ſuſtineri non poſſit, niſi haec eſt  
ratio, quod in hoc, vt ſalua rei fructuariae ſubſtantia ſit, ad  
essentialia, in illo vero ad naturalia tantum referri debeat cau-  
tio? In eo enim imperatorum haec constitutio noſtræ etiam  
fauere videtur ſententiae, quod dicit, ſecundum ſenatuscon-  
ſulti formam cautionem a quaſi vſufructario eſſe exigendam,  
notum enim eſt illud pragmaticorum: forma dat eſſe rei.

#### §. XXIV.

*Ratio, quod per remiſſionem cautionis vſufructuarius ad delinquentum inuitetur,*  
*tanquam ridicula exploditur.*

Iam vero ponderatis omnibus iis, quae ſupra propo-  
ſuimus, facile quifque nobiſcum conſentiet, vnicam eam  
que praecipuam rationem, quae Romanarum legum latores  
com-

\* \* \*

commouere potuerit, ut constituerent, cautionem hanc a testatore remitti non posse, in eo positam esse, quod cautio ad quasi vſuſructus essentiam propterea, quod sine hac rei ſructuarie ſubſtantia ſalua non erat, requiratur. Neque quiſ quam negabit, eandem rationem in vero vſuſructu exulare. Hinc cautionem remittendi facultatem testatori in vero vſuſructu denegare, nobis omni plane ratione videtur deſtitutum. Quam enim Doctores ſibi fingunt rationem, quod, admiſſa hac remiſſione, vſuſructarius ad delinquendum in re aliena inuitetur, eam ridiculam et fere absurdam cenſemus. Nonne enim vſuſructarius, ſi re in vſumfructum data abu-tatur, eamque vel deteriorem ſua culpa reddat vel plane tol-lat, ad dāminum rēſarcendū, obligatur? Nonne ipſae le-ges interdum cautionem remittunt? Quid ſi fiat, dicere non audebis, leges quemquam ad delinquendum inuitare. Quo-modo vero leges patri remiſſent cautionem in peculio ad-uentitio liberorum fuorum, ſi eum ideo ad delinquendum inuitari credidiffent, cum plerumque liberi, excepto pecu-lio hoc aduentitio plane nihil in bonis habere ſoleant. An putas, ipſas leges patri occaſionem praebuiffe, liberorum bona inuadendi, eosque ad ſummae egeſtatem redigendi? has, inquam, leges, quae alibi ipſae agnoscunt, maxime rei publicae intereffe, ne egeſtas inducatur. *I. 12. §. 2. D. de-tutor. et curat.* Quid quod neque debitori neque commoda-tario cautionis praefatio iniungitur, cum tamen aequē ac vſuſructarius re aliena vtantur. Nemo vero vñquam dixit, eos, cum non praefent cautionem, ad delinquendum, in re ipſorum fidei commiſſa, inuitari.

*Remissionem cautionis in vero vſufructu testatori permittendam effet, docet ſana ratio et iuriſ analogia.*

Patet igitur nullam plane adduci poſſe ſolidam rationem, quare cautionis vſufructuariae remiſſio teſtatori in vero vſufructu prohiberi debeat. Nunc vero videndum eſt, an non et ipſa ſana ratio, et iuriſ romani analogia, nos doceat, eandem teſtatoris remiſſionem, omnino valere debere? Leges certis quibusdam perſonis cautionis vſufructuariae remittunt onus, teſtatori vero nonne et eadem eſt tribuenda poſteſtas, cum eius voluntas fit lex, *Nou. 22. §. diſpona. l. 120. D. de verbor. ſignif.* et pro lege ferueretur, niſi legibus aut bonis moribus aduerſetur. *l. 55. et l. 112. D. de legat. 1.* Cautionem vſufructuariam ad fideicommissariam eſte aptandam, atque legatorum cautionis exemplo eſſe praelatam claris verbis in *l. 1. §. 2. D. vſufruct. quemadmodum cau. nos docet VLPIANVS*, idemque a nobis ſupra iamiam eſt obſeruatum; legatorum vero et fideicommissorum cautionem a teſtatore liberrime remitti poſſe, videre licet ex *l. 2. l. 4 et l pen. C. ut in poſſ. legat.* Quare vero vſufructuariae cautionis remiſſio non valeat, cum nulla hic differentiae ratio occurrat? Ipmam denique proprietatem legari poſſe, non ambiguit; quare vero non liceat vſumfructum rei non fungibilis, remiſſa cautione, legare, cum plus certe ſit in proprietate, quam in vſufructu etiamſi nulla interueniat ſatisfactio? An vero ei, cui id quod plus eſt licet, id quod minus eſt non liceat? *l. 21. D. de diuers. reg. iur.* Etiā enim nos non fugit, hanc iuriſ regulam in omnibus non obtinere locum, vti v. c. oſtendere

dere licet exemplo mariti, qui fundum dotalemente consentiente muliere, iure antieustinianeo \*) quidem alienare, non vero oppignorare poterat, tamen non videmus, quare eam hic in usum nostrum conuertere non debeamus, maxime cum aliis sat claris argumentis nostram firmauerimus sententiam. Nonne vero ita etiam argumentari licet? Si in testatoris potestate est constitutum naturalia ususfructus remittere, potest etiam cautionem remittere, cum haec ad ususfructus veri naturalia sit referenda. Quid vero magis naturale est in ususfructu, quam eum morte fructuarii finiri? l. 26. pr. C. et l. 3. §. vlt. D. de ususfr. attamen eum interdum etiam testatoris voluntate ad fructuarii heredes transire posse constat, per l. 14. C. de ususfructu et l. 38. §. 12. D. de verb. Oblig.

\*) Iustinianus enim in pr. quib. alien. lic. et Nou. 61. c. 1. §. 1. et 2. constituit fundum dotalemente, ne quidem consentiente muliere, alienari posse. add. l. vn. §. 15. C. de rei vx. aet.

### §. XXVI.

*Iustiori huic sententiae aduersatur tamen l. 7. C. ut in poss. legat.*

Itaque vides, nihil iustius, nihil aequius, nihil reliquo iuri magis consentaneum esse, quam, ut testatori liberam potestatem, tam cum, quam sine, cautionis onere, usumfructum relinquendi, tribuamus. Haec optime consideraverunt antiquiores iuris romani conditores, hinc nullus, neque in Institutionibus neque in Digestis, extat locus, in quo haec cautionis remissio in vero ususfructu testatori sit in-

D 2 ter-

+ + +

terdicta. Expressè tamen eam permittere opus esse, eo minus crediderunt, quo minus sibi persuadere poterant, de re tam clara iurique tam conueniente dubium oriri posse. Et eorum certe hodienum sequeremur sententiam, nisi ALEXANDER imp. nouum hac in re, omnique ratione destitutum nobis introduxisset ius. Is enim vim legum priorum de remissione cautionis quasi vſufructuariae testamento facta haud perspiciens, in *lege 7. C. vt in poss. legat.* constituit, cautionem, vt boni viri arbitratu vtatur fruatur is, cui vſufructus relictus est, minime testamento remitti posse, his verbis: *Scire debetis fideicommisso quidem et legati satisfactionem remitti posse Diuum Marcum et Diuum Commodum constituisse. Vt autem boni viri arbitratu is, cui vſufructus relictus est, vtatur fruatur, minime satisfactionem remitti testamento posse.* Clara sunt huius Alexandrinae constitutionis verba, nec de quasi vſufructu intelligenda, cum quasi vſufructarius non caueat se boni viri arbitratu vſurum fruiturum esse, sed potius, serem finito quasi vſufructu esse restituturum. Videmus etiam hanc constitutionem libro XLIV. Tit 31. Βασιλικῶν iisdem fere verbis insertam esse. Haec nisi esset lex, certe cum A. FABRO ad l. 13. pr. D. de vſufr. crederemus, de iure ciuili cautionem in quasi vſufructu saltem a testatore non posse remitti. Durum enim atque iniquum videtur, patrifamilias, cui leges duodecim tabularum liberrimam de re sua disponendi concederunt potestatem, cautionis huius vſufructuariae remissionem denegare. Nihilo tamen secius vti in aliis, ita et in hoc, expressae legislatoris voluntati est serviendum, cum Iurisconsulti officium non in abrogandis mutan-

mutandisue legibus, sed potius in interpretandis et consenser-  
uandis versetur.

### §. XXVII.

*Sententia eorum, qui cautionem saltem ratione primi membri testamento remitti  
non posse credunt, admittenda non est.*

Attamen negari non potest ALEXANDRVM imperato-  
rem, quod talia contra regulas iuris antiqui constituerit, me-  
rito reprehendendum videri, eumque haud facile veteris iu-  
ris ignorantiae suspicionem effugere. Plerique iam ante nos  
Doctores, in inuenienda aliqua Alexandrinae huius constitutio-  
nis solida ratione frustra allaborarunt. Quam enim in eo in-  
uenisse sibi visi sunt, quod per remissionem hanc vusufructua-  
rius ad delinquendum in re aliena inuitaretur, eam supra iam  
satis superque explosimus. Alii hanc legem ita optimè ex-  
plicari posse crediderunt, si dicarent, cautionem ratione  
primi membri saltem a testatore remitti non posse. HOPPIVS  
ad pr. I. de Vusufructu. STRYCK in Vsu Moderno Lib. VII.  
Tit. IX. §. vlt. Cuius quidem sententiae, hanc rationem ad-  
ferunt, quod in dicta l. 7. cautionis de re boni viri arbitratu-  
vtenda saltem mentio fiat, altera vero cautionis vusufructua-  
riae clausula, de eo quod finito vusufructu extiterit restituend-  
o, plane sit omissa. Verum enim uero, cum haec lex Co-  
dicis, rescriptum ALEXANDRI ad libellum PROCULIA-  
NI contineat, imperator priora tantum cautionis verba com-  
pendii causa adduxisse videtur, nec inusitatum hoc fuisse col-  
ligi potest ex l. vlt. D. Vusufruct. quemadm. cau. l. 13. D. de  
Vusufr. l. 4. C. cod. NOODT. de Vusufr. lib. 1. cap. 19. Caeterum

D 3

nulla

❖ ❖ ❖

nulla ratio apparet, quare altera potius, quam prior cautio-  
nis clausula remitti a testatore possit? Maior enim adhuc  
vtilitas videtur posterioris cautionis clausulae, cum per eam  
proprietarius securus reddatur, rem finito vſufructu ad se  
peruenturam esse, priori vero membro ei saltem caueatur,  
vſufructuarium rem deteriorem non esse redditurum. Ete-  
nim parum eius interest, si vel maxime caueret vſufructua-  
rius; *se boni arbitratu vſurum fruiturum esse*, nisi simul de  
re quandoque recipienda securus esse possit. Praestat enim  
rem, licet paululum deterioratam, habere, quam plane non  
habere.

### §. XXVIII.

*Optandum esset ut principi placaret hanc legem abrogare.*

Itaque cum haec ALEXANDRI Imp. constitutio vix  
vlla ratione defendi possit, nihil superest, quam vt fatea-  
mur, eum ignorantia legum superiorum, neque harum vi  
et potestate satis perspecta, errasse. Nam quod veteres de  
solo quasi vſufructu sanxerant, id inepte de omni vſufructu,  
adeoque etiam de vero, iustum putauit. Et cum ipse ille  
error, per receptionem iuris Romani, apud nos vim le-  
gis sit consecutus, rationem huius legis anquirentibus,  
haec vna nobis remanet responsio, legislatoris hic volunt-  
atem pro ratione stare, nec omnium, quae a maioribus con-  
stituta sunt, rationem redi posse. *l. 20. D. de legibus.* In  
legislatoris enim arbitrio positum erat, quacunque ipsi  
placerent, nobis praecipere, *l. 1. pr. D. de Conf. princ.* nec  
quicquam in tota hac re priuato reliquum est, quam dura  
illa

\* \* \*

31

illa obsequii gloria. Attamen, cum legum Romanarum  
aequitas tam constans atque perpetua haud sit, quin con-  
traria auctoritate immutari queat, atque inter omnes con-  
stet, inter principum Imperii eminentiora iura, id infimo  
non esse ponendum loco, quod et nouas leges ferre et  
pristinas antiquare possint, maxime esset optandum, ut  
tandem, posita nunc in lucem Alexandrinae luius consti-  
tutionis iniustitia atque iniquitate, princeps hanc Codicis  
legem abrogare, atque ius, quo nunc vtiuntur, hac in parte,  
ad pristinam suam puritatem integritatemque reducere ve-  
lit. Ita enim antiquum illud et primis iam reipublicae ro-  
manae temporibus natum iuris effatum: Paterfamilias vti  
legassit, ita ius esto, mirabili certe ALEXANDRI Imp.  
impostura, iurisque, quo tunc vtebantur, ignorantia ma-  
ximopere labefactatum, pristinae integritati restituet. Ita  
denique legum corpus, cuius membra in reliquis fere omni-  
bus, optimo artificio cohaerere videntur, et in hac parte  
vtile remedio sanabitur.

§. XXIX.

*In Gallia cautio vusufructuaria testamento remitti potest, atque eodem iure  
vtuntur etiam Antwerpenses.*

Tandem ad exterarum etiam gentium exempla, in de-  
monstranda huius legis iniustitia atque iniquitate prouo-  
care liceat. Etsi enim nos non fugit, nullam plane exem-  
plis probandi vim inesse, tamen cum probe intelligamus,  
maximi animi viros, aliorum exemplis excitatos, melio-

ra

◆ ◆ ◆

ra adhuc clarioraque peragendi cupidine inflammari, nulli  
sane dubitamus Germanos etiam nostros, vicinorum popu-  
lorum exemplo, ad legum iniquarum emendationem per-  
duci posse. Iam vero ingenue fatendum est, Gallos in  
ea, de qua nobis sermo est, iuris parte, aequiore longe iu-  
stioreque iure, ac nos vti. Testatur sane G R O E N E-  
W E G E N ad l. 4. C. de Vsfufr. testatori liberimam vfu-  
fructuarium cautionem remittendi facultatem in Galliae  
regionibus tribui, huiusque rei testem producit M O R-  
N A C I V M. Attamen in eo Gallorum etiam legumi-  
latores a vero iuris romani sensu aberrasse videntur, quod  
omnem vfufructuarie cautionis remissionem, a testatore fa-  
ctam, validam declarauerint, nulla differentiae habita ra-  
tione, quae inter rerum fungibilium et non fungibilium  
vsumfructum occurrit. Eo ipso enim Galli effecerunt, vt  
quod apud Romanos ad quasi vfufructus essentiam per-  
tinuisse, apud eos ad eiusdem naturalia tantum sit referen-  
dum, nec aliud hoc est ac si dicas, eos quasi vfufructus  
essentiam penitus sustulisse, adeoque nouum introduxisse ne-  
gotium, cuius natura parum a mutuo distare videtur.  
Bono an malo consilio hoc fecerint? nostrum hic non est  
disquirere, vnum saltem addimus: res, nulla vrgente ne-  
cessitate, non esse multiplicandas.

Nec vna gallica gens hoc vtitur iure, nam et apud  
Antwerpienses patribus familias libere de re sua disponendi  
facultas est, nec metuunt illi remissionem cautionis vfufru-  
ctuariae testamento factam, inualidam declaratum iri quem-  
admodum S C H I L T E R exerc. 17. §. pen. attestatur.

ET

§. XXX.

*Quare pater neque filii de bonis corum aduentitiis, nec maritus vxori de paraphernalibus caueat?*

Dixerit aliquis: si cautio vſufructuaria ita secundum naturam vſufructui rerum fungibilium inest, vt remitti non possit, sique, vt demonstrasti, ad eius essentiam pertinet, qui sit, vt pater liberis de aduentitiis non caueat, quorum vſumfructum habet, cum tamen huic rerum vniuersitati res etiam fungibles insint; porro quomodo euenit, vt nec maritus, rerum paraphernalium vſufructuarius, caueat vxori, licet omnia paraphernalia, aut saltim magna horum pars, vtplurimum in pecunia numerata consistant? Talia vero iactantia ita in promptu erit responsio: Leges liberis propter peculia aduentitia materna et materni generis, pignus tacitum in bonis patris tribuere, l. 6. §. 4. C. de bon. quae lib. l. 8. §. 3 et 4. C. de secund. nupt. LEYSER Med. ad ff. spec. 226 Med. 4 seqq. Iam vero, cum ex supra adduciis constet fideiussoriam cautionem non expresse ab vſufructuario exigi, cum potius certum sit pignoratitiam etiam admittendam esse, patet liberis tacita illa hypotheca satis prospectum esse, nec vllam aliam fideiussoriam cautionem eos exigere posse, ne pater bis eandem securitatem iis praestare teneatur. At quid de reliquis aduentitiis, a matre non profectis, dicendum? Etiamsi enim horum vſufructus patri quoque competit, nulla tamen ideo ab eo exigi potest cautio. Hic vero existimamus patri, propter reuerentiam his in bonis, quae rarius euenire solent, a IVSTINIANO

E

Imp.

◆ ◆ ◆

Imp. in l. 6. §. 2. C. de bon. quae lib. remissam esse cautionem. Nec adeo hanc iustinianeam probamus constitutionem, vt non potius credamus, imperatorem hic a vero iuris antiquioris sensu aberrasse. Sed multa sunt singularia ob paternam reuerentiam introducta. Sic nemo ignorat dolum omnes contractus bonaे fidei vitiare et nullos reddere, nihil tamen minus, ob parentum dolum frustra restitucionem in integrum petunt. l. 2. C. qui et aduersi quos restit. Liceat itaque hanc patris immunitatem ab onere cautionis, tanquam singulare quid et παράδοξον retinere, maxime cum haud rara in materia iuris Romani de seruitutibus occurrant παράδοξα, vt videre licet apud LEYSERVUM in Med. ad D. fp. 107. Med. 1. Negari tamen haud potest, hac ratione, veram romani quasi vſusfructus notionem paululum imminui, atque irregularem quandam effici quasi vſusfructus speciem.

Quod vero ad bona paraphernalia attinet, horum nullus vſusfructus iure Romano ad maritum pertinet, quem enim habet, is iure saltem Germanico ei competit, adeoque regulae iuris Quiritium hic omnem vim suam perdunt. Iure autem Germanico maritus tutor vxoris legitimus est, ihr che licher Bormund, quoniam veto omnes tutelae quondam fructuariae fuerunt, hinc evenit vt nostris moribus demum maritus vſusfructarius factus sit. Etenim de Germanico vſusfructu notandum est, eum pinguiorem praestantioresque esse vſusfructu romano, imo propemodum in dominium degenerare Conf. Dominii PRAESIDIS Academische Reden über M ascouii Ius Feud. Dominum vero ne quidem secundum

cundum iuris Romani regulas satisdare, exemplo ipsius mariti probari potest, cui nulla dotis nomine, cuius dominus putatur, satisdandi necessitas imposita est. Haec vera et genuina ratio est, quare maritus de paraphernalium vſusfructu Germanico non caueat, nec adſtipulamur STRYKIO, qui in Vſu Moderno Lib. 7. tit. 5. §. 3. cautionem a marito exigendam esse contendit.

### §. XXXI.

*Pactum quo quis alteri rei fungibilis vſum absque cautione concedit, ei  
vult tanquam mutuum, non vero tanquam quasi  
vſusfructus.*

Neque quisquam nobis obiicit, nos, tum cautionem ad quasi vſusfructus effentiam referamus, ipſi proprietario, facultatem eandem remittendi adimere, cum tamen conſlet, cuilibet liberum esse fauori pro ſe introducto renunciare. *L.*  
*41. D. de minor. 25 an. l. pen. C. de paſt. Nou. 136 c. 1.* Sciat vero, qui haec nobis obſtare credit, nos negotii, quo quis alteri vſum rei fungibilis ad dies vitae vel naturalis vel civilis, absque omni cautione concedit, validitatem minime in dubium vocare. Probe enim intelligimus, omnia eſſe feruanda paſta, modo honestati ſint conuenientia. Hoc ſaltem contendimus tale negotium non eſſe quaſi vſumfructum. Neque tamen ideo eiusmodi paſtum, in mutuum certe degenerans, infirmandum eſſe putamus, ſi vel maxime contrahentes vſusfructus vocabulo viſi ſint, denominatio enim huiusmodi falſa non nocebit, dummodo de partium voluntate certi ſimus, valebit potius tale negotium, quomodo cunque valere poterit, h. e. valebit atque ſu-



sinebitur tanquam mutuum, non vero tanquam quasi  
vitusfructus.

**§. XXXII.**

*Conclusio.*

Haec sunt, quae pro instituti ratione dicenda erant. Nunc vero cum mihi satis iam benevoli lectoris patientiam exercuisse videar, nihil restat, quam ut, quod initio rogaui, boni atque aequi mihi adsint censores. Tantum enim mihi non tribuo, ut me in nullo penitus errasse existimem. Ut igitur aequi rerum aestimatores, quaeradum iuuentuti meae vsu legendi iudicandique nondum satis exercitatae condonare velint, eriam atque etiam rogo.



DO-

DOCTISSIMO HVIVS DISPV'TATIONIS

# A V C T O R I

S. P. D.

P.

D.

P R A E S E S.

**H**oc ipso tempore, quo de mutandis legibus et novo codice faciendo Saxonia cogitat, non intempestive videris, **NOBILISSIMI FIZEAUX**, aequitatem legum Romanarum, Remissionem cautionis usfructuariae testatori denegantium, in dubitationem adduxisse. Itaque nili eo magis placuerunt, quae de ea re salutariter proposuisti. Nihil in kindere, nihil addere, negotiis undique circumuallatum potui nec, si potuisssem, opus erat. Adeo omnia ad unum

E 3

guem

guem elaborauens. Rarum profecto, ex Franco Gallorum,  
qui sedes in hac vrbe suas posuerunt, colonia quemquam litteris  
operam dare; rarior, qui iurisprudentiae se consecrare ve-  
lit; sed tales in litteris progressus quemquam ex nostris Fran-  
cis, quam Tu **VIR NOBILISSIME** fecisse, hoc plane  
inauditum, hoc futuris credo seculis vix iterum continget.  
Nam Tuum nomen, ob singularem eruditionem pleno ore litteratis commendare possim. Incertum cui maiorem inde glo-  
riam pepereris, Lipsiacene an Goettingae? Nam in utraque schola Te saturasti optimis rerum forensium disciplinis.  
Iam fere inuitus Te defino laudare. Vale, **RESPON-**  
**DENS DOCTISSIME**, atque si, quod facere studeo,  
fide immobili et intemerata amicitia aliquando bene de Tuis  
studiiis merebor, age vicissim aqua proportione benebole mihi  
et per amanter faueas.



A V C T O R I  
HIVS DISPV TATIONIS DOCTISSIMO

S. D.

CHRISTIANVS SCHMIDELIUS

OPPONENS.

**Q**uod Tu, per opportunitatem cuius disputatio-  
nis, demandata miki dissentientis prouincia,  
quem socium studiorum et commilitonem ha-  
buisti, spectatorem me nunc laudis Tuae, et quasi socium  
esse cupis, id quidem, vti est certissimum voluntatis Tuae er-  
ga me indicium, ita miki iucundissimam opportunissimamque  
praebet occasionem, Tibi et gratulandi specimen diligentiae  
et doctrinae, quam, edito hoc libello, in lucem aspectumque  
protulisti, et pro felici studiorum Tuorum euentu vota facien-

di.

di. Ea vero, rogo, ut non tam ex urbanitate quadam verborum, et tralatitio honoris habendi genere, quam ex amicitiae sensu iudices. Perspectum enim habes, nostram amicitiam, quippe in academia Göttingensi, cuius me alumnū aliquando fuisse non sine magna laetitia recordor, contra Etiam studiorumque communium caritatem nutritam, plane esse ex eo genere, ut non possit non alter in societatem eorum venire, quae alteri laeta atque ex sententia ceciderint. Itaque paucis, quae ex hoc veluti fonte profecta, ego Tibi hic nuncupo, vota accipe: Macete esto virtute Tua, et animi dotibus, et doctrina, et, quae strenuos litterarum cultores certissime manent, diligenter. Praemia propediem accipe. Ego vero rebus Tuis secundis ita omni tempore gaudebo, uti Tibi amicitiam meam probari semper cupiam. Vale.



Leipzig, Diss., 1764



3

f

TAZOL

nur 31. Stck. Bücher verknüpft

VD18



Farbkarte #13



DISSE<sup>40.</sup>TATIO IVRIDICA

D E

INIQUITATE LEGVM  
ROMANARVM

REMISSIONEM CAUTIONIS VSVFRVCTVARIAE  
TESTATORI DENEGANTIVM.

Q V A M

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

D. XII. APRILIS CCCCCCLXIV.

P R A E S I D E

CAROLO FERDINANDO  
H O M M E L I O

FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO ET ACADEMIAE  
LIPSIENSIS H. T. RECTORE

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

AVCTOR ATQVE RESPONDENS

D A V I D E S F I Z E A U X  
LIPSIENSIS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

1764, 26.